

heret? cur contactu vulgarentur? Genuinam pestis naturam, causasque latere; sed tamen in id omnes consentire, epidemicum sive vulgarem, lethalem, & contagiosum morbum pestem esse, quæ sane quis in hac cæli constitutione concurrere inficias iverit? Diffusos in populum morbos afflatu, atque attacku conceptos, brevi dierum intervallo ægros extinctos. Non alia itaque remedia, quam ea, quæ pestiferæ lui accommodata sint, adhiberi oportere; suppellectilem concremandam vel perpurgandam; sanos ab ægris segregandos; victu parco ac moderato utendum: quibus si minus sanari, at certe aliqua ex parte corrigi ac minui teterrimum virus posse. His rationibus qui Venetiis medicinam profitebantur, morbum pestem esse, atque uti pestem curandum contendebant.

Mercurialis & Capivaceus morbum pestilentem non esse suadere eo præsertim nitebantur, quod cum jam annum plebem ignotaque capita invaderet, verisimile non erat, latius diffusum majora incrementa non sumpsisse, urbemque universam refertam populo, commerciis assuetam, opificum copia prædivitem, non corripuisse; humilia tantum tecta, tabernaculaque afflictas, eorum præcipue, quibus omnium rerum inopia pressis adjumenta non suppeterent: gravissimos sane passim in civitate morbos vagari; at eos pestilentes non esse: nam si, ut apud omnes constat, popularis morbus pestis est; si, Hippocrate teste, a communi causa, ab aere nimirum pendet; cur adhuc laxa tecta ac palatia non subiisset? cur ab ea labe nemini parcere assueta, patriciorum ac civium domus adhuc immunes ac intactæ servarentur? Ad hæc Veneti Medici: haud parum terribilos morbos processisse, qui nisi frigore consopiti, assiduaque magistratuum cura repressi fuissent, majorem adhuc civitatis partem occupassent; modo æstu ingravescente, præteritis frustra adhibitis remediis, conduplicatis viribus resurgere: nisi vehementi conatu obsistatur, ni quæ ad pestem pellendam opportuna sint, comparentur, paucorum dierum intervallo incendium per amplissimam urbem late effusum, ingentes mortalium acervos absumpturum; idque se Principi, Senatui, omnibusque obnuntiare. At contra Patavini acrius urgere (quodque ad commovendos animos magnam vim habebat) se ad ægrotos invensendos exhibere; nullum inde periculum pertimescere; vitam, ut aliis, ipsis quoque jucundam, objicientes: suo experimen-

*Mercurialis & Capivacei argumenta contra Venetos medicos.*